



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVII. Vtrum Deus intuituè cognoscat contingentia absolutè futura,
quatenus sibi præsentia physicè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

præterea sicut omne, quod non est, ideo non est, quia est aliquid impossibile cum ipso, & impediens existentia sua, ne ipsum sit; ita scientia Dei neganti esse aliquid, mortuum, & causa negandi, est ens positum mediata, vel immediate impossibile cum illo. Quo euadit modus non essendi intentionaliter simillimus modo non essendi physice. Ratio autem obiectionis solam excludit similitudinem physicam inter scientiam Dei, ipsumque Deum, & inter obiecta creata, tum positua, tum negatiua.

Ad 4. Tametsi nullum malum sit contrarium Deo; Omne tamen, & quolibet malum est contrarium alicui bono creato contento in Deo, & participatio Dei. Nequit igitur cognoscere Deus comprehensiuè omne bonum contentum in ipso, & causabile ab eodem; quin cognoscat comprehensiuè omne malum contentum in causis secundis, & causabile ab ipsis, vel in ipsis.

Ad 5. Ens rationis fictum non fit à cognoscente illud esse fictum, aut fingibile, sed ab eo, qui cognoscit ens reale fingendo; seu cognitione affirmante, & identificante inuicem, quæ sunt in se distincta, aut è contra negante, & distinguente, quæ sunt idem à parte rei. Deus autem non cognoscit chimæras, & entia rationis hoc secundo modo, sed solum priori modo. Cognoscit enim cognitionem creatam, quæ fit, aut fieri potest ens rationis, esse necessariò falsam, & obiectum, circa quod re ipsa versatur, opposito modo se habere, atque representatur per ipsam. In quo nullum est inconueniens, sed esset in opposito.



QVÆSTIO. XVII.

Vtrum Deus intuitiuè cognoscat contingentia absolute futura, quatenus sibi presentia physice?



DETVR non ita cognoscere. 1. Quia quod cras existet, perinde se habet ratione sui, & secundum se præcisè respectu cognitionis hodiernæ, atque si nunquam esset exiturum per totam æternitatem. Perinde enim nequit mouere intellectum, & influere in cognitionem de præsentia. Quia ad operationem præsentem perinde est inutilis existentia futura, atque præterita; & neutri conuenit aliquid de præsentia, per quod differat à non præterito, & non futuro. Contingens autem re ipsa futurum dum ratione sui, & secundum se præcisè ita se habet respectu cognitionis atque si nunquam exiturum esset; nullatenus interim cognosci potest determinate ut futurum, aut ut existens pro aliqua differentia temporis. Quia de conceptu effectus contingentis est, ut prima determinatio sui ad suum esse sit sua ipsius existentia. Vnde nihil ante se præsupponere potest; sicut potest præsupponere effectus necessariò existens, quod sit determinate connexum cum existentia potius, quam cum non existentia ipsius, quodque eundem constituat in ratione futuri potius, quam non futuri, & reddat cognitionem assertiuam futurationis veram potius determinate, quam determinate falsam. Repugnat igitur, ut Deus, cuius omnis cognitio est essentialiter vera, & antecedit tota æternitate effectus omnes existentes in tempore, cognoscat, aut intuitiuè, aut etiam abstractiue effectus contingentes absolute futuros.

2. Iuxta Philos. 1. Periher. c. 8. propositiones singulares de futuro non omnes sunt determinate veræ,

aut determinate falsæ. Quia si omnes eiusmodi propositiones essent determinate veræ, aut determinate falsæ, nihil contingentem eueniret. Nec enim contingenter euenit, quod habet antecedentem determinationem infallibilem ad vnam partem, & subsequitur præexistente eiusmodi determinatione sui. Quomodo enim est causa contingentem operans, & se habens indifferenter ad vtrumlibet, cuius aliqua ad alteram partem determinatio præit ante operationem ipsius? Istud autem inconueniens inductum à Philosopho vrget, & conuincit multò manifestius in cognitione diuina; quæ videlicet est essentialiter vera, & non per denominationem extrinsecam, sicut cognitiones creatæ, nec contingentem existit, sicut eadem cognitiones. Quia omnis cognitio Dei est identificata cum ipso Deo, qui est ens necessarium, & nullum contingens est identificabile cum vltio necessario. Repugnat igitur Deo cognitio futurorum contingentium; ut potè auferens se ipsa formaliter contingentiam eorum.

3. Enum Angelicam est indiuisibile, ut fert communis D. Thomæ, & aliorum opinio; Vnde totum coexistit omnibus, & singulis partibus totius temporis correspondentis eidem æuo; & nihilominus nequit Angelus cognoscere naturaliter summa contingentia, dum sunt futura respectu nostri. Ergo nec Deus potest eadem intueri anticipatè propter indiuisibilitatem suæ æternitatis; nec genus illud coexistentiæ, & præsentia resultantis ex indiuisibilitate illius potest aliquatenus esse vtile ad determinandum intellectum Diuinum, ut cognoscat, quæ ita sibi coexistunt, suntque præsentia physice.

4. Coexistentia, & præsentia physica creaturarum respectu Dei, est successiua. Quia existentia creaturarum est successiua in se, & secundum se; atque coexistentia includit existentiam rei in se, & secundum se. Cognitio autem Dei de rebus creatis est essentialiter æterna, & existens tota simul absque vlla successione. Ergo cognitio Dei non fertur in res creatas præcisè ut coexistentes, & præsentis sibi physice, sed omninò independentè à tali coexistentia, & præsentia.

5. Prius natura existit vnumquodque in se, estque quodammodo sibi præsens; quam coexistat Deo, sitque ipsi præsens physice. Quia duratio sequitur ad existentiam rei; & vnumquodque est præsentissimum sibi per solam suam existentiam. Cognitio autem Dei eo ordine assequitur qualibet res, quo sunt in se; nec expectat posteriora, ut cognoscat priora. Prius igitur cognoscit Deus futura contingentia secundum se, quam ut coexistentia sibi. Ergo eius cognitio non dependet à coexistentia, qualicumque demum ea sit. Confirmatur: Quia contingentia conditionatè futura cognoscit Deus non minùs, quam absolute futura, & tamen conditionatè futura non sunt præsentia physice, ut patet, sed tantum intentionaliter. Ergo etiam absolute futura cognoscit independentè à præsentia physica.

Art. 1. Respondetur. Res creatæ, quæ aliquando existunt, duplici summo genere continentur. Aliæ enim sunt, quæ fiunt à solo Deo; Aliæ ab eodem simul cum causis secundis. Rursus quæ fiunt à causis secundis, alia fiunt cum necessitate; alia cum libertate, & electione. Quæ differentia solum conuenit effectibus relatè ad causas secundas. Quia comparatione Dei nihil euenit cum absoluta necessitate, sed omnia creata pendent essentialiter ab electione libera Dei; suntque æqualiter contingentia, atque indifferencia in vtramque partem respectu ipsius, ut dicitur q. 20. Quare, cum à Theologis instituitur seorsim, quæstio de diuina futurorum contingentium scientia, sola supponitur eorum distinctio à futuris necessariis

necessariis respectu causarum secundarum. Cum enim vix vlla sit difficultas peculiaris de scientia eorum, quæ sunt contingentia solum comparatione Dei, merito in disputationem adducitur sola scientia eorum, quæ sunt contingentia respectu causarum secundarum videntium libertate indifferentiæ, & electione. Vnde eadem sola intelliguntur communiter sub nomine contingentium absolute prolato. Contingentia porro ista in duplici statu considerari possunt, altero existentia absolute, altero conditionata. De posteriori isto statu dicitur in quaestione sequenti, & inibi exponetur ex professione vtriusque huius status differentia. Nunc enim de priori tantum statu dicendum est, qui non indiget expositione. Quia contingens absolute futurum dicitur, quod ita existit in se intrinsece pro aliqua sequenti temporis differentia, sicut vnusquisque experitur se existere de presenti, sibi que inesse actus, quibus exercetur defecto.

Art. 2. Certum est ex fide, Deum certissime, & perfectissime cognoscere ab aeterno futura istiusmodi contingentia, vt apparet, inter alia, ex 39. Ecclesiastici 24. & 25. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius. A saculo, & usque in saculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.* Cuius ratio ex perfectione diuini intuitus redditur ibidem c. 23. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intrantes in absconditas partes.* Celebrè quoque testimonium ex Pl. 138. 3. *Intellexisti cognitiones meas de longe semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas previdisti. Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.* Eodem pertinet, ex interpretatione Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum, illud ex 7. ad Rom. 17. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Nempe cognoscit, quæ nondum sunt, non secus ac ea, quæ iam sunt. Eodem etiam pertinent relationes omnes, & prophetiæ, quæ habentur frequentes in sacris literis circa futura contingentia. *Præscientia namque Dei*, vt dicit Tertull. l. 2. contra Marc. c. 5. *tot habet testes, quot fecit prophetas.* Complura alia scripturæ, & PP. testimonia videri possunt apud Montoyam disp. 22. de scientia sect. 1. & apud Petanum t. 1. dog. theol. l. 4. c. 6.

Art. 3. Veritas ista vix est Augustino tam peruia, ac manifesta rationi naturali, vt nisi ab infano negari non possit. Cum enim l. 5. de Ciuit. c. 9. ageret de errore Ciceronis facientis homines sacrilegos (negatione vti que huius scientiæ) dum vult eos facere liberos. *Nam & confiteri, subiungit, esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Est sanè; Quia sublata ista scientia, eo ipso aufertur Deo providentia compensatiua bonorum, & malorum operum; distributio præmiorum, & suppliciorum; potestas prædicendi certò futura contingentia, & disponendi de præsentibus res omnes, & singulas, prout congruit respectu eorum, quæ futura sunt tempore sequenti. Negatur præterea Deo notitia, circa actus liberos singulorum hominum, æqualis illi notitiæ, quam iidem de iisdem habent; id est, negatur Deo perfectio aliqua reperta in creaturis. Quod esse peraburdum, innotuit iam superius semel atque iterum.

Art. 4. Nec vacat dicere, Deum cognoscere successiue, quæ successiue existunt. Quia hoc inducit in Deum mutabilitatem, seu capacitatem, vt aliter se habeat pro vno tempore, quam pro alio. Quis enim dubitat aliter se habere scientem aliquid nunc, quod ignoratum ab eo prius erat: & aliquid acquiri de nouo ab eo, qui incipit scire, quod prius nesciebat; maioremque esse istam mutationem, quam mutationem transeuntis ex frigido in calidum? Dictum autem est qu. 8. Deum essentialiter immutabilem esse,

& incapacem, cui in se intrinsece aliquid contingat de nouo. Quæ ratio reddetur clarior ex dicendis infra circa constitutionem actuum liberorum Dei. Necessè igitur est, vt Deus cognoscat ab aeterno, quæcumque impossibile est vt ignoret pro eo tempore, pro quo eueniunt: estque Deus constituendus quoad hæc supra substantias intellectuales creatas, ne deprimatur infra eadem.

Art. 5. Ratio, quasi à priori, excessus huius diuini est. Quia nihil habet rationem præteriti, aut futuri respectu Dei, & diuinæ æternitatis secundum se, vt dictum est qu. 8. ad 4. Nihil igitur habet, respectu Dei secundum se, conditionem vllam, aut prædicatum proprium, ac speciale futuri, aut præteriti formaliter vt talis. Proprium autem, ac speciale prædicatum futuri, & præteriti formaliter vt talis est, quod aliquando videri possit tanquam physice præsens intuenti, aliquando non possit. Nulli igitur effectui aliquando præsentibus physice, & saltem pro tunc visibili, vt est in se, conuenit, respectu Dei, eiusmodi vicissitudo, & differentia successiua visibilitatis, & non visibilitatis; sed omnia successiue existentia, & successiue visibilia respectu nostri, simul ab aeterno vidit tanquam sibi præsentia physice. Quæ est ratio vnica D. Thomæ pro demonstranda veritate diuinæ scientiæ circa futura contingentia, & pro concilianda eadem scientia, cum contingentia & libertate nostrarum electionum, & traditur ab ipso ex professione in hac qu. 14. art. 13. & alibi sæpè, maxime verò qu. 2. de verit. artic. 12. Circa cuius articuli sensum legitimum contentium planè argumenti propositi, mirum profectò est, aliquos auctores tergiversari potuisse, oppressos difficultate ibidem obseruata à Sancto Doctore, eleuandi intellectum affixum ex sua natura tempori in esse, & operari, ad considerationem cognitionis independentis à tempore, eiusque consignificatione.

Art. 6. Et quidem præsentiam physicam effectuum contingentium existentium respectu diuinæ æternitatis, abique vlla ratione futuri, comparatione eiusdem secundum se, esse sufficientem, & necessariam, vt cognoscantur à Deo ab aeterno, efficacissime ostendit ibi D. Thomas. Est enim in primis sufficiens. Quia intellectus creatus, imò & sensus per eam suam durationem, per quam determinatur, vt coexistat effectui alicui contingenti, redditur habilis ad videndum ipsum pro eadem duratione, maxime quando effectus ita præsens procedit ab ipso habente intellectum & sensum. Ergo Dens, qui per suam æternitatem est essentialiter determinatus, vt coexistat omnibus, & singulis effectibus contingentibus, per eandem redditur habilis, ac proinde vltimò determinatur ad videndos eos pro eadem æternitate, id est, ad eos semper videndos, eò vel maxime, quia iis effectibus essentialia est, vt procedant à Deo tanquam à causa sua. Et sanè oportet esse eum qui non videt, quod ipse facit, dum hoc fit, & est ipsi physice præsens.

Art. 7. Eadem præsentia physica est omnino necessaria ad eandem Dei scientiam. Quia effectus contingens non potest certò cognosci in vlla sua causa tanquam in medio primò determinante ad cognitionem ipsius, vt docet aperte D. Thomas in locis modò indicatis, inque aliis pluribus obseruatis à Montoya disp. 73. de scientia sect. 4. Nempe causa effectus contingentis, ex suo conceptu se habet ad vtrumlibet ex oppositis; & vtriusvis electione, ac positione potest impedire alterum; & sic seipsam ab eo diuidere, ac separare. Vnde effectus contingens determinatè sumptus non potest in sua causa cognosci, præter quam coniecturaliter, & cum morali, ad summum, certitudine. Quia in medio indifferenti, & fallibili non potest fundari cognitio determinata, simulque

infallibilis. Ergo ut effectus contingens cognoscatur determinate cum totali certitudine, & infallibilitate, necesse est ipsum per se ipsum adeste physice presentem cognoscenti. Patet hac consequentia; Quia nihil potest habere vllum suum esse, seu simpliciter, seu secundum quid tale, vllamue cognoscibilitatem, nisi quatenus, vel in sua causa continetur, vel adest physice præsens immediate per se ipsum; vel elucet in aliquo suo effectu, aut quasi effectu. Cum ergo effectus contingens non habeat vltimam determinationem sui in alteram partem, præcisè prout in sua causa continetur; nihil verò habere possit vllum suum effectum, aut quasi effectum immediatum anteriorem ipso, seu qui emanet, aut quasi emanet immediate ex nondum existente: patet effectum contingentem cognosci minime posse determinatè, & infallibiliter, nisi dependenter ab actuali præsentia sua physica respectu primi cognoscentis cum infallibilitate, quale cognoscens est Deus.

Art. 8. Nonnulli, vt eludant vim huius argumenti, confugiunt ad præsentiam obiectiuam æternam convenientem rebus existentibus in tempore, ratione futuritionis earum, quæ datur ab æterno. Quia quidquid incipit esse in tempore, erat futurum antequam inciperet esse, futuritione, cuius nulla reperiri potest inceptio. Verum, vt appareat insufficiencia huius doctrinæ ad euacuandam vim rationis propositæ, necesse est, vt aliquantulum euoluatur conceptus futuri, & futuritionis.

Art. 9. Futurum communiter definitur: *Quod nunc non est, & erit in tempore sequenti.* Quibus vocibus licet videatur exactam vim definitionis nequaquam inesse; Quia quod futurum est, & quod erit in tempore sequenti, eandem rem secundum eundem penitus conceptum, eodemque modo exprimere videntur, mutatis solis vocibus synonymis: afferunt nihilominus explicationem rei significatæ nonnihil maiorem per distinctionem inter non esse & esse, eorumque partitionem in diuersas temporis differentias. Sed multò plus conferret ad intimam, & claram intelligentiam definiti, distinctio rei, quæ dicitur futura, & futuritionis, qua sic denominatur. Res, quæ dicitur futura, tam nihil est de præsentia quoad omnia sibi intrinseca, secumque identificata; atque id, quod nunquam existet, nec differt de præsentia per aliquid sui ab eo, quod nunquam futurum est, imò & quod chimericum est. Quia, cum quæ sunt identificata, sint mutuo inseparabilia, in rebus saltem finitis; nihil eius, quod nunc non est, esse nunc in se ipso potest aliquo modo. Quapropter distinguenda rursus est futuritio duplex. Alia namque est vnicuique rei temporali intrinseca, quæ iuxta definitionem datam; partim est, partim omnino non est de præsentia. Est, quoad non esse, seu carentiam: Non est quoad esse, seu existentiam rei futuræ; Quæ res, quatenus in se intrinsece futura, eas duas partes includit. Quia de causa docet in hunc sensum August. l. 11. Confel. cap. præsertim 20. improprie, & abusive dici: *Præteritum est: futurum est.* Quia futurum nondum est, & præteritum iam non est. Quod autem nondum est, aut iam non est; verè, & proprie non est. Et rursus quod verè, & proprie non est; nec tale, aut tale: nec hoc, aut illud est verè, & proprie.

Art. 10. Alia nihilominus futuritio est vnicuique rei temporali extrinseca, quæ adæquate possit esse de præsentia, verè & proprie. Noc enim repugnat aliquid esse de præsentia connexum essentialiter cum existentia eius, quod nondum est in se. Reuelatio namque diuina, & fides ex illa, concepta de existentia, & peccato Antichristi nondum existentibus, iam in se existunt connexæ cum illis essentialiter. Eadem est ratio de qualibet causa necessaria effectus nondum

existentis iam nunc existente, & coniuncta cum voluntate diuina de non neganda cooperatione contraturaliter illi debita. Quodlibet autem iam existens connexum essentialiter cum existentia eius, quod nondum existit, constituit quoddam ipsius fore, seu futuritionem, & impertitur eidem denominationem extrinsecam futuri, fundatque veritatem propositionis affirmantis de præsentia, illud esse exiturum. De qua futuritione, & præsentia futuri, accipendus est Augustinus in illo eodem libro cap. 18. initio, cum dicit: *Scio tamen, vbiunque sint, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia.*

Art. 11. Prior illa futuritio nihil inuare potest, vt cognoscatur ab æterno à Deo effectus contingens existens in tempore. Quia ab æterno sola datur altera pars futuritionis, quæ est non esse rei. Quod, cum sit commune futuris, & non futuris, nihil conferre potest ad inducendam ex tunc cognitionem affirmatiuam potius, quàm negatiuam ipsius futuri. Posterior autem futuritio nulla dari potest ab æterno respectu effectus contingentis, nisi dependenter à præsentia physica ipsius effectus respectu æternitatis. Quia nihil essentialiter connexum cum effectu contingentis, dummodò sit immediate contingens, potest antecedere simpliciter existentiam ipsius contingentis, vt superius ponderatum est. Ergo, vt effectus contingens nanciscatur futuritionem aliquam, seu denominationem aliquam aliam intrinsece connexam cum existentia ipsius in tempore, necesse est ipsum secundum se esse præsentem physice æternitati; nec nisi dependenter ab hac præsentia potest inducere aliquid æternum (quibuscumque demum vocibus, & circumlocutione illud significetur) quod sit intrinsece connexum cum existentia ipsius in tempore. Concluditur ergo Deum cognoscere intuitiue omnia, & singula contingentia absolute futura, quatenus præsentia sibi physice, nec aliter cognosci illa posse, præterquam coniecturaliter.

Art. 12. Eadem ista scientia, qua Deus cognoscit effectus creatos immediate contingentes, idest actus nostros immediate liberos, vt existentes absolute pro sua cuiusque differentia temporis, cognoscit etiam, vt conditionatè futuros, effectus mediate contingentes, & inducendos per eoldem actus liberos, si non aduisset impedimentum. Quia posita existentia absoluta actuum internorum efficaciter intendentium actionem aliquam exteriorem, & nolente Deo patrare miracula, perinde necesse est, vt sublequatur actio exterior sub hac conditione, quòd non deficiant cætera requisita; atque necesse est, euentus quoslibet alios esse conditionatè futuros sub conditione secundum se inseparabili essentialiter ab iisdem euentibus. Eadem igitur ratione, qua Deus per scientiam absolute necessariam, æquivalenter conditionatam, & formaliter absolutam, cognoscit euentus omnes conditionatè futuros sub conditione secundum se præcisè inseparabili essentialiter ab ipsis, vt dicitur qu. sequenti sub initium; cognoscit etiam simili prorsus modo, per scientiam liberam visionis actuum nostrorum interiorum, actiones exteriores inducibiles ab ipsis, & non inductas defacto propter defectum alicuius ad executionem requisiti, ideoque conditionate tantum futuras.

Art. 13. Iidem actus interni immediate liberi existentes absolute, & amplectentes aliquod motuum cum tanta determinatè intensione, ac adhesionem, denominant similiter futuros conditionate, vel conditionate non futuros actus alios liberos itidem immediate circa motuum, vel oppositum, vel affine: ideoque sufficiunt, vt Deus per eandem scientiam visionis, qua videt ipsos vt absolute existentes, videat etiam indiuisim istos alios vt conditionate futuros,

vel

vel ut conditionate non futuros. Si videlicet occurrisset eidem voluntati pro eodem tempore motuum oppositum, aut affine motui actus absolute existens, cum talibus determinate circumstantiis, vel etiam occurrisset aliud obiectum materiale talis alterius determinate conditionis sub eodem illo motui, quod defacto prosequitur absolute. Voluntas enim nostra est libera, ut prosequatur vel non prosequatur, ut placet, tale determinate motuum, siue magnum, siue paruum; utque utrumvis praestet cum tanta, vel tanta determinate intentione, & adhesionem; ac demum, ut praeter illo contemnat, & reiiciat; vel non contemnat, nec reiiciat tale motuum contrarium, siue vehemens, siue tenue: Non tamen est libera, ut cum tanta remissione, & tam debili conatu prosequatur unum aliquod motuum, quando simul proponitur efficacissime motuum aliquod vehemens in contrarium, quanta cum remissione, & debilitate conatus prosequi posset idem motuum, quando simul proponeretur, in contrarium, motuum debile, aut proponeretur debiliter, quod est vehemens in se. Quia maior conatus, & maior intensio actus requiritur ad superandam magnam difficultatem, quam quae sufficit ad superandam parvam; neque, ut oppositum fiat, est liberum voluntati. Similiter non est libera voluntas, ut intensius, ac vehementius prosequatur unum aliquod motuum, hac praecise de causa, quia simul adest motuum vehemens in contrarium, idque proponitur efficacissima cognitione. Nec enim est liberum voluntati, ut inde ad maiorem intentionem actus, maioremque conatum determinetur circa aliquid, ceteris omnino paribus, unde retrahitur ab omni prorsus intentione, & conatu circa idem; nec fieri potest libera electione voluntatis, ut conferat ad aliquid, quod nihil ad id confert, sed magis ad oppositum, ex intrinseca sua natura, & conditione.

Art. 14. Fieri igitur nequaquam potest, ut non sit conditionate verum, voluntatem omniuram fuisse prosecutionem obiecti, quod de facto prosequitur absolute actu intenso tantum ut quatuor, sufficiente proinde ad resistendum difficultati tantum ut quatuor si occurrisset pro eodem instanti difficultas ut octo in contrarium: id est, difficultas insuperabilis absque maiori conatu, & maiori intensione actus resistentis. Eadem est proportionalis ratio de aliis eiusmodi iam insinuatis combinationibus motuorum, & circumstantiarum. Itaque actus quilibet existens absolute, pro aliquo instanti; per se ipsum est respectu futuro, & non futuro conditionate, seu fore, & non fore conditionatum plurimum aliorum actuum, occurrentibus pro eodem instanti aliis, atque aliis motuibus, & circumstantiis, seu contrariis, seu affinibus. Cognoscibiles proinde sunt cum infallibilitate, & omni moda determinatione istiusmodi actus futuri, & non futuri conditionate, per cognitionem comprehensivam actus existentis absolute. Id quod non obscure supponit Augustinus, ut indubitatum, lib. 4. de Anima, & eius origine cap. 7. sine; dum post alia certo cognoscibilia ex sua natura, & per nos ignorata propter imbecillitatem ingenij nostri, adiungit sic. *Scimus nos itaque aliquid velle, seu nolle. Sed voluntas nostra, etiam cum bona est; quantum valeat, quas vires habeat, quibus rationibus cedat, quibus non cedat, si nos non fallimus, Fili dilecte, nescimus.* Deus igitur perfecte comprehendens per scientiam visionis idem velle, & nolle nostrum absolute existens, eadem scientia indivisim cognoscit conditionate istos alios eventus, ut futuros, vel non futuros determinate sub conditione tali, & tali.

Art. 15. Invenit plurimum ad intelligentiam, & uberiorem confirmationem huius doctrinae, si considerentur, quae habentur tota quaest. 16. de Incarnati-

ubi agitur ex professo de scientia conditionata, quam Deus habet de suis decretis non existentibus absolute, & exituris conditionate, indistinctam a scientia absoluta sui decreti existentis defacto absolute, ut inde deducatur legitima, & clara determinatio quaestio- nis de Christo venturo, vel non venturo, ex vi praesentis decreti, si homo non peccasset. An vero scientia visionis Dei circa suos, & nostros actus absolute existentes, dicenda sit media, vel alio aliquo nomine peculiari significanda sit, quatenus cognoscit in illis alios suos, & nostros actus, ut futuros tantum conditionate, quaestio est de voce, de qua nihil curo. Satis tamen est, non multiplicare voces, ubi res significabilis per illas est prorsus una, ac individua, non solum realiter sed etiam virtualiter intrinsece; & praeterea exemplo esse potest scientia simplicis intelligentiae, quae etiam ipsa cognoscit, ex indubitata omnium sententia, eventus aliquos, ut conditionate futuros, quin propterea relate ad ipsos nomine aliquo peculiari significetur. Quod ad rem ipsam attinet, constat ex his omnibus, quae dicta sunt, Deum certo, ac infallibiliter cognoscere omnes, & singulos actus liberos creatos absolute existentes pro quavis temporis differentia, idque propter physicam eorum praesentiam respectu ipsius, seu respectu aeternitatis divinae secundum se; atque in iisdem actibus cognosci cum eadem certitudine, & infallibilitate, alios plures actus, ut futuros tantum conditionate.

Ad 1. Existencia craftina obiecti habet se per accidens, respectu cognitionis hodiernae, cuius hodierna duratio est distincta a duratione craftina; non vero, respectu cognoscentis, & cognitionis, cuius hodierna; & craftina duratio est eadem, & prorsus indivisibilis. Nec enim fieri potest, ut duratio craftina cognoscentis indistincta ab hodierna eiusdem duratione sit minus utilis ad cognoscendum obiectum existens cras, quam duratio cognoscentis pure craftina, ideoque contractior, & minus perfecta. Deus autem durat aeternitate, quae indivisim complectitur omnes, & singulas temporis differentias; ideoque est aequaliter idonea ad cognoscendum omnia; quae contingunt pro qualibet temporis differentia. Et quia eadem aeternitas, est simul duratio totius divinae cognitionis, fit, ut Deus non solum cognoscat omnia, quae pro quovis tempore eveniunt; sed etiam, ut semper eadem omnia cognoscat.

Ad 2. Ratio illa Philosophi, quantum quidem ego assequor, est demonstrativa aduersus determinatam veritatem, & falsitatem propositionum creaturarum naturalium de futuro contingenti, si considerentur, uti considerantur a Philosopho, secundum se praecise, & non ut extrinsece denominate a cognitione divina. Ceterum aduersus veritatem scientiae Dei nihil eadem ratio convincit. Quia, scientia Dei non habet rationem praeteriti respectu ullius eventus temporalis, sed cum quoties tali eventui comparatur tamquam praesens cum praesenti, ob indivisibilitatem durationis aeternae. Quare sicut homo, dum videt hominem currentem, non tollit sua visione contingentiam cursus; eo quod currens, suspendendo cursum suum, potest absolute impedire visionem cursus pendentem essentialiter a praesentia physica ipsius: ita visio Dei, qua videt ab aeterno, quae contingenter eveniunt in tempore, non opponitur contingentiae eorum; quia fertur in illa, quatenus physice praesentia, & pendet quoad terminationem, ac denominationem ab ea praesentia physica, tamquam a termino, seu materia circa quam, seu tamquam a conditione sine qua non; ideoque potest eatenus impediri, impedito eventui ipso, circa quem versatur. Quae ratio & comparatio est desumpta a D. Thoma in locis supra indicatis, eademque usus est Augustinus

mus lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 4. & alibi non semel. Neuter verò illa usus fuisset, quia idoneè uti non potuisset, si vnus quilibet effectus contingens non esset ita præsens visioni diuinæ de ipso, totique durationi huius visionis; sicut cursus Petri est physice præsens Paulo illum videnti, dum illum videt. Eadem ratione plures Sancti Patres apud Petauium, & Montoyam, visionem potius, quam prouisionem dicendam putant, secundum proprietatem sermonis, scientiam, quam Deus habet de rebus quibusque existentibus in tempore. Quia videlicet non antecedit secundum se præcisè considerata, sed purè coëxistit tota sua duratione, cuicumque, & quandocumque coëxistit.

Ad 3. Angelus non senescit, sicut homo; sed in eadem semper dispositione permanet ad viuendum ulterius, ex quo incipit existere; & viuunt vniformiter ex natura rei sine fine. Propterea eius duratio dicitur æuum indiuisibile; nempe fundamentaliter, ac remote. Caterum formaliter est diuisibilis ea duratio, quia potest absolute deficere, atque interrumpi; siquidem potest annihilari Angelus, quandocumque Deo placuerit. At duratio Dei formaliter etiam, & proxime, est indiuisibilis, & essentialiter æterna. Vnde contingens, quod est futurum respectu nostri, est etiam futurum respectu Angeli; non verò respectu Dei. Et consequenter potest à Deo, non potest ab Angelo cognosci certò, & immediate in se ipso. Videatur D. Thomas in hac 1. par. qu. 57. art. 3.

Ad 4. Res creatæ existunt in se, & coëxistunt Deo successiue successione vnus rei creatæ ad aliam rem creatam, nec non vnus concreti ex Deo, & vna aliqua creatura, ad complexum ex Deo, & alia quadam creatura; non verò successione vnus diuinæ durationis, per quam coëxistat vni creaturæ, ad aliam durationem diuinam, per quam coëxistat alij creaturæ. Licet ergo existant successiue operationes creaturarum, quas exercent circa seinuicem, nec non operationes, quas Deus exequitur simul cum causis secundis, aut etiam se solo, sed transeunt in eisdem causis secundis; nulla tamen admittenda est successio in operatione diuina immanenti, tametsi versetur essentialiter circa res creatas ut præsentis sibi physice. Quia operatio immanens Dei durat sola æternitate, quæ cum sit indiuisibilis, & tota simul, atque indiuisim adest omnibus, quæ existunt successiue. Quapropter sicut hodie datur duratio crastina, & hesternæ Dei: ita hodie datur operatio immanens postulans durationem crastinam, & hesternam ex parte Dei. Idem dicitur de tota æternitate, & de omnibus aliis differentiis temporis inuicem comparatis.

Art. 1. Ad 5. Quidlibet creatum per se ipsum essentialiter, & immediate est præsens Deo; quia eius æternitas complectitur indiuisim totam collectionem durationum creatarum, iisque omnibus, & singulis quandocumque existentibus est essentialiter præsens physice. Quidlibet autem creatum per se ipsum essentialiter est determinatum ad habendum aliquam suam durationem, licet sit indifferens ad hanc determinatam durationem, vel illam. Ergo quidlibet per se ipsum præcisè est essentialiter, & immediate determinatum, ut coëxistat Deo; & pro eodem priori, pro quo intelligitur existens, intelligitur cum hac determinatione, & coëxistentia; licet adhuc intelligatur indifferens, ut coëxistat his, vel illis aliis rebus creatis. Deinde cognitio diuina, circa res creatas priores, & posteriores natura, est indiuisibilis, & tota simul etiam virtualiter intrinsecè, ut infra dicitur. Vnde quidquid requiritur ad cognitionem rei posterioris natura, requiritur etiam pro cognitione prioris natura.

Art. 2. Ad confirmationem. Contingens absolute

futurum per se ipsum intrinsecè est prima determinatio formalis ad suum esse absolutum, & consequenter ad cognoscibilitatem, quæ sibi peculiariter conuenit. Idem verò contingens præcisè ut futurum conditionatè habet totum suum esse, & consequenter totam suam cognoscibilitatem per denominationem extrinsecam ab aliquo alio realiter distincto, ut dicitur in quæst. sequenti. Ergo ad cognitionem diuinam contingentis, ut absolute futuri, seu potius, ut absolute existentis in se, & coëxistentis Deo, requiritur præsentia physica ipsius secundum se respectu Dei; ad cognitionem verò eiusdem præcisè, ut conditionatè futuri, seu existentis conditionatè, sola requiritur præsentia physica alicuius alterius.



QVÆSTIO. XVIII.

Utrum detur in Deo scientia media contingentium conditionatè futurorum?



IDE ET VR non dari. 1. Quia contingens, quatenus conditionatè futurum, non potest cognosci in se immediate, & secundum quod est actu. Quia effectus pendens à conditione, quæ nondum est, aut nondum intelligitur posita, seu nondum est actu in se, nec ipse potest esse actu in se intrinsecè. Sed neque in sua causa certò, & infallibiliter cognosci potest. Quia causa effectus contingentis indifferenter se habet ad vtrumlibet oppositorum, ut ponderatum est in qu. præcedenti. Ergo contingens præcisè, ut conditionatè futurum, nullo pacto cognosci potest à Deo, qui nihil, nisi certò, ac infallibiliter cognoscere potest. Patet consequentia. Quia effectus contingentis duobus tantum modis considerari, & cognosci potest; vel nimirum in se ipso, secundum, quod est actu intrinsecè, vel in sua causa, ut dictum est in eadem quæstione ex D. Thoma quæst. 14. art. 13. & ex terminis ipsis satis apparet.

2. Nihil est, quod determinet intellectum Diuinum ad affirmandum determinatè, vel negandum contingens esse futurum sub conditione indifferenti ex se, ut illud subsequatur, vel non subsequatur ad ipsam. In primis enim nihil distinctum à Deo potest habere rationem ad id determinantis. Quia veritates purè conditionatæ nihil ponunt, aut supponunt absolute à parte rei extra Deum; ac proinde æqualiter subsistunt, siue detur aliquid, siue nihil detur absolute à parte rei distinctum à Deo, & præditum vi aliqua determinatiua. Sed neque aliquid indistinctum realiter à Deo determinare potest. Quia prædicata necessaria Dei, quæ sola præsupponit ante se scientia media, nullam habent connexionem determinatam cum alterutra parte contradictionis contingentis, atque ideo ad neutrius partis cognitionem determinare possunt intellectum diuinum. Intellectus autem neque diuinus, neque creatis determinari potest ad vllam cognitionem, nullo obiecto prædeterminante ad ipsam. Quia operatio nullam ante se præsupponens determinationem respectu sui, eo ipso est electio libera, nec pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem; nec potest electio libera aliundè differre ab operatione non libera, & pertinente immediate ad intellectum.

3. Contingens quatenus conditionatè futurum, nullum habet esse, nisi obiectiue in intellectu. Quia fieri potest, ut neque ipsum contingens, neque causa eius proxima, & particularis vnquam existat à parte rei.